



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Romanvm II. Contra Incestvosorvm Haeresim celebratum anno
Domini MLXV. tempore Alexandri papae II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
 CHRISTI
 1064.

simoniæ, quod ei imputatum fuerat, se adhibito iuramento expurgasse, Otto Frisingensis negare videtur: qui cum agit de eiusmodi accusatione Romam missa ab Henrico rege, nihil habet de accusatione criminis simoniæ, quo postulatum referunt Alexandrum: sed ipsum regem eius delicti reum constitutum affirmat, eaque de causa eiusdem pontificis literis Romam esse vocatum. Et quamquam certo ignoretur quæ post hæc in Synodo gesta fuerunt, tamen hoc omnes affirmant, Cadaloum in eadem condemnatum fuisse. Tradunt enim omnes scriptores eius temporis, quod his duobus Conciliis condemnatus militem armauerit, Urbemque aggressus, ut Alexandrum a sede Petri exturbaret, contumeliose pulsus & victus fuerit, paucisque post diebus quam ab Alexandro veniam petiisset, & impetrasset, malam mortem incurrerit. Vide epistolas Alexandri ad Geruasium Rhemensem archiepiscopum. Baronius anno 1064. numero primo & sequentibus.

Cadalous
 pseudopa-
 pa iterum
 condemna-
 tus, post ve-
 niam peti-
 tam, male
 obiit.

CONCILIVM BARCINONENSE
 IN QVO LEGES GOTHICÆ, QVIBVS
 Catalauni utebantur, plane sunt abrogatæ, anno Domini
 MLXIV. tempore Alexandri papæ II.

NOTA.

* *Concilium.*] Episcopi Hispani, qui Mantuano Concilio interfue-
 runt, reuersuri in Hispanias, duxerunt secum ab Alexandro papa de-
 cretum legatum a latere Hugonem cardinalem, cuius auctoritate
 Barcinone hæc Synodus congregata fuit, in qua leges Gothicas, qui-
 bus Catalauni utebantur, penitus abrogauit, nouasque sanxit, qui-
 bus populus hæctenus utitur. Ut autem ritus Gothici in sacris adhi-
 beri soliti abrogarentur, ab illis obtinere non potuit, nec cogere vo-
 luit, cum iidem in Concilio Mantuano catholici esse cogniti fuissent.
 In eadem Synodo Alexander papa tamquam germanus pontifex est
 receptus: Cadalous autem communibus omnium votis est condem-
 natus. Baronius prædicto anno, numero 42.

Causa &
 acta Con-
 cilii.

ANNO
 CHRISTI
 1065.

CONCILIVM ROMANVM II.
 CONTRA INCESTVOSORVM HÆRESIM
 celebratum anno Domini MLXV. tempore Alexandri
 papæ II.

NOTA.

* *Concilium.*] Hoc tempore hæresis Incestuosorum a quibusdam
 iureconsultis excitata atque defensa est, qui auctoritate Iustiniani
 Incestuo-
 si hæretici

Pppp iij

qui & qua-
les?Causa &
acta Con-
cilii.35. quest. 4.
cap. Ad se-
dem apo-
stolicam,
&c. quod
autem fra-
ter, eadem
quest.

imperatoris eadem ratione, qua in successione gradus consanguinitatis numerandos esse docebant. Impugnauit eam heresim præ ceteris acerrimus orthodoxæ fidei defensor Petrus Damiani. Cumque eius scriptis tolli non posset, & ad eam comprimendam auctoritate apostolica opus esset, Alexander papa Romæ hanc Synodum indixit, in qua contra defensores illius hæreseos eiusmodi decretum edidit, quod a Gratiano his verbis describitur: *Ad sedem apostolicam perlata est questio nouiter exorta de gradibus consanguinitatis, quam quidam legum & Canonum imperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra sacros Canones & ecclesiasticum morem numerare nituntur; nouo & inaudito errore affirmantes, quod germani fratres vel sorores inter se sint in secunda generatione, filii eorum vel filia in quarta, nepotes vel neptes in sexta: talique modo progeniem computantes, & in huiusmodi sexto eam gradu terminantes, dicunt, deinceps viros ac mulieres inter se posse nuptialia iura contrahere; & ad huiusmodi profanum errorem confirmandum in argumentum assumunt saculares leges, quas Iustinianus imperator promulgauit de successione consanguineorum, quibus confisi ostendere moliuntur: fratres in secundo gradu esse numeratos, filios eorum in quarto, nepotes in sexto: sic seriem genealogia terminantes, numeratione sanctorum patrum, & antiquam ecclesie computationem ad nos vsque perductam peruersa quadam calliditate disturbare nitentur. Nos vero, Deo annuente, in Synodo habita in Lateranensi consistorio, conuocatis ad hoc opus episcopis & clericis atque iudicibus diuersarum prouinciarum: denique diu ventilatis legibus & sacris Canonibus, distincte inuenimus, ob aliam atque aliam causam, alteram legum fieri, alteram Canonum computationem. In legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hereditas vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur: in Canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur vsque ad quotam generationem a consanguineorum sit nuptiis abstinentum, &c. Et in fine sic: Taliter igitur determinatis gradibus consanguinitatis, apostolica vos auctoritate monemus, fratres & filii, ut omnibus sic seriem genealogia computandam esse intimetis, quemadmodum sancti patres numerandam esse sanxerunt, & antiquus mos ecclesie per longa tempora olim computasse monstratur. Nam si quis peruersa & obstinata mente a recto tramite apostolica sedis deuiare voluerit, & aliter quam nos, in nuptiis celebrandis gradus parentela numerare contenderit, primum pro sua temeritate caelesti pœna plectetur: postmodum vero gladio perpetui anathematis se nouerit iugulandum. Datum Romæ, &c. Hæc in priori eiusdem anni Concilio, quo excommunicationis comminatio facta est, ut habetur apud Gratianum. Sed & apud Iuonem Carnotensem episcopum, qui in fine sæculi huius claruit, recitata reperiuntur alia eiusdem argumenti decreta ab eodem Alexandro pontifice data ad diuersos, nempe ad Neapolitanos vnum, ad Venetorum episcopum aliud, aliud insuper ad episcopum Basileensem, aliud etiam ad episcopum Aretinum, quibus intelligas fuisse eidem pontifici in his plurimum laborandum.*

Iuo part. 9.
cap. 6. qu.
10. 37.ANNO
CHRISTI
1065.